



# Disputatio theologica de voto Jephtae septima

<https://hdl.handle.net/1874/340976>

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
VOTO JEPHTÆ,  
SEPTIMA  
QUAM  
Fayente Deo Opt. Max.  
SUB PRÆSIDIO  
D. CAROLI de MAETS, S.S.  
Theolog. Doctoris & in Academia Ultrajectina Professoris ordinarii,

Defendere conabitur,

GEORGIUS de RAAD Zelandus

Addicem Iunii hora locoque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officina, JOHANNIS à WAESBERGE,  
Anno. M DC L.

*Amplissimus, gravissimus, generosissimus viris,*

- D. HENRICO THIBAVT, Consiliario Illustrum ac præpotentum Ordinum Zelandie. Domino Agathæ kercke &c.  
D. ADRIANO VETTH, urbis Middelburgensis Syndico fidelissimo; omnis eruditionis verè amatoribus, cultoribus eruditissimis:

*Clarissimo, Doctissimo viro,*

- D. CAROLO de MAETS, SS. Theol. in inclytâ Acad. Ultraj. Profess., ac ibidem in ecclesiâ Pastori vigilantiss. propter affectum erga me, ejusque varium tum publicè, tum privatim effectum, perpetuo amore ac honore prosequendo:

*U T E T*

*Pietate ac doctrinâ Reverendo Domino,*

- D. DANIELLI de SUAEF, mysteriorum Dei in ecclesia quæ Christo Medioburgi colligitur Dispensatori fidelissimo, doctissimo:

Sudiorum meorum sautoribus, promotoribus, ac Mæcenatibus summis.

*N E C N O N*

*Reverendis ac conspiuis viris.*

- D. CAROLO BOUSSEMAER, Graphiaro Aerdenburgi digniss.  
D. DAVIDI TAETZ, urbis Flisingensis Scabino venerando.

Cognatis meis dilectissimis.

*Hanc disputationem*

Offero

*GEORGIUS de RAAD*

*Respond.*

*JOHANNES WILLEBRORCHS  
anno 1614*

DISPV TATIO THEOLOGICA,  
DE  
V O T O I E P H T A E  
S E P T I M A.

T H E S I S I.



Equitur nunc ut ad petitionem filiæ Ieph-  
tæ transeamus. In hac autem petitione quæ  
v.37. describitur, duo potissimum confide-  
randa sunt.

- 1 Modus petendi.
- 2 Materia petitionis.

זה אמר אל Modus exprimitur verbis,

אכיה עשרה לי הרבר הוה. Quæritur hic 1. quomodo  
hæc verba construenda sint? Resp. Tigurini hæc verba ad id  
quod præcessit referre videntur. Vertunt enim hunc locum  
hoc modo: *dixitque ad patrem suum, fiat mihi hæc res, sed abstine* &c. Interpositione enim adversativæ *sed* quæ non est in He-  
bræo, significare videntur, quod senserint, filiam, Iephæ  
dicentem *fiat mihi hæc res*, repetivisse quod ante dixerat,  
nimirum ut pater plane certus esset de spontanea ipsius sub-  
missione: & deinde iteratæ suæ submissioni petitionem adje-  
cisce, videlicet ut pater ab ea abstinaret duobus mensibus &c.  
Si enim verba de quibus agimus ad sequentia pertinere cen-  
suerint, aut adversativæ loco copulativam & potuissent, aut ab  
omni prorsus supplemento abstinuissent. Verumtamen exi-  
stirno potius verba hæc ad id quod sequitur pertinere. Vide-  
tur enim plane filia Iephæ significare voluisse, quod nonnihil  
haberet quod peteret, quodq; oraret ne id sibi denegaretur.

11 Quid vox עשרה hic significet? Resp. Verba futuri tem-  
poris apud Hebræos loco imperativorum sæpe sumuntur, ne-  
que tamen propterea tum semper imperandi significationem  
habent, quandoquidem ne quidem imperativorum semper ea

est potestas ut præcedenti disputatione ostensum fuit. Ali quando, ut alia omittam petendi sive obsecrandi sensu sumuntur, ut videre est 1 Sam. 1.v.16. פָּתַח אֶל הַחַנִּים. Pl. 6.v.2. לְעֵשֶׂר יְמִינֵי. Ps. 109.v.14. וְיָכֹר, quomodo quoque et; hic sumendum est. Nam nullo modo putandum est filiam Iephætæ quæ tam nobile exemplum obedientiæ dederat patri concedendo, ut juxta votum de ipsa statueret, illi hic quippiam per modum imperantis præscribere voluisse. Humiliter itaque petit & orat ut sibi, quod sequitur, à patre concedatur. Non usq; est hic meo judicio rationibus ad persuasionem accommodatis, ne videlicet, aut quod petitura esset patri extorquere velle videretur, aut de patris benignitate male sentire à quippiam judicaretur, sed simplici oratione petitionem suam exhibet, ut ostendat se totam à patris nutu pendere. Adeoque quod petit modestissime petit: Prætereo vocem quo<sup>r</sup> rem hic notat. Quia non tantum hæc apud Hebræos (uti notum est) hanc significationem habet (unde etiam factum ut in scriptura N.T. προσεύχεσθαι & λαλεῖν nonnunquam hoc significatu sumantur Matth. 18.v.16. Luc. 1.37. Marc. 11.29. Act. 8.21. sed etiam res ipsa clamat eam hic alio significatu non esse sumendam.

I I.

Materia petitionis describitur reliquis verbis versus 37. ea autem est gemina.

1 Dilatio exsecutionis voti.

2 Facultas excurrendi.

הַרְפָּה מִמְנִי שְׁנִים חֲדָשִׁים Petit hic filia Iephætæ ut pater differret exsecutionem voti circa ipsam ad breve tempus, id est duos menses.

Quæritur hic 1. quid חֲדָשׁ Hebræis significet? Resp. vox hæc quæ deducitur à שְׁנִים innovavit, 1. Novilunium significat. Num. 28.14. 1 Sam. 20.5. 2 Reg. 4.v.23. Ies. 1.13. 14. Amos 8.5. 2. Mensis. Gen. 7.11. & 8.4. 5. 13. 14. Inde חֲדָשׁ Gen. 29.14. Numer. 11.20. 21. (quo sensu etiam יְמִינָה Deut. 21. 13. dicitur) mensis integrum id est 30 diebus.

bus constantem notat. Posteriori modo vocem hanc hic sumimus, omissa ulteriori disquisitione de mensibus & annis Iudæorum. Si quis tamen hac de re judicia virorum eruditorum cognoscere cupiat audeat Scalig. de emendat. temp. lib. 1. §. de mensibus & § de anno. & lib. 2. §. de periodo Iudæorum Alexandria. & § de anno Iudæorum novitio. & § de anno veterum Hebræorum autumnali. & lib. 3. §. de anno prisorum Hebræorum Abrahameo. & lib. 4. §. de Iudæorum Solari. Et lib. 5. de Epochâ Iudaica artificiali. & §. de anno Alexandreo Iudæorum. Item Zeth. Calvis. Isagog. Chron. c. 12. & denique Philip. Lansbergium Chronolog. Sacræ lib. 1. c. 6.

11 Quæritur, An filia Iephthæ recte fecerit petendo dilatationem executionis voti? Ratio quæsiti est, quia non tantum requiritur, ut quod vovimus, si est de re licita præstemus, verum etiam ut eodem illo tempore id præstemus, quo nos id præstuturos vovimus. Huc facit quod Eccl. 5. v. 3. dicitur; Cum nuncupaveris votum Deo, ne differto persolvere illud: nam non delebitur stolidis: id quod voveris, persolve. Suadet idem Iana ratio. Nam omnes sicutiunt virtutem veracitatis postulare ut homini quod promisimus constituto tempore solvamus. Quoniam ergo Deus omnibus hominibus major est, sequitur, virtutem religionis poscere, ut id quod vovimus si sit de re licita, tempore quod voto determinavimus, præstemus Resp. Votū Iephthæ aut fuit de re illicita, aut licita. Si de re illicita fuit, non tantum petere debuisset dilationem executionis sed etiam plenariam voti omissionem; nimirum ut patrem à perpetratione peccati averteret. Si vero de re licita, petere potuit dilationem ejus ad tempus aliquod, nimirum absolute si scivit patrem in nunciatione voti certum tempus persolutionis non adiecisse. conditionate, si nescivit utrum id adiecisset nec ne.

111 Quer., quomodo dictum fuerit in secunda parte determinationis Filiā Iephthæ licite petere potuisse aut absolute aut sub conditione, dilationē voti, cum certum esse vidicatur eum qui vovit nec voto certum tempus præfixit, quo illud executurus sit, id debere solvere quando primum potest. Nam Sa-

Iomo loco præcedenti quæstione adducto prohibet procras-  
tinationem persolutionis voti. Resp. Non simpliciter vovens  
tenetur solvere votum cui non præfixit certum executionis  
terminum, quando simpliciter aut ullo modo potest, sed si-  
mul ac commode potest, & grave impedimentum non objici-  
tur. Sic legimus Iacobum votum suum quod fugiens fratrem  
suum voverat Gen. 28. v. 22. cuiq; determinatum tempus non  
præfixerat, non statim postquam in Chananæam rediisset, sed  
simul ac commode poterat solvisse Gen. 35. v. 7. Neque enim  
assentior iis qui sentiunt Iacobum negligentia distulisse solu-  
tionem voti ac propterea ipsi evenisse infortunium quod nar-  
ratur Genes. 34. quia nihil ea de re scriptura tradit. Vide Riv.  
Comm. in Gen. 35. Exerc. 142. Ratio idem docet. quia sicuti ma-  
lus debitor celeri non potest, qui simulac commode potest solvit  
quod debet, ubi certum tempus aut tacite aut expresse solutioni  
non est præfixum, sic quoq; voti neglecti reus esse non videtur,  
qui votum ejus solutioni certum tempus non præstituit, solvit,  
quamprimum commode potest. Quoniam itaque filia Iephœ  
aut sciebat patrem executioni voti sui certum terminum non  
præfixisse, aut saltem nesciebat an præfixisset nec ne, aut abso-  
lute aut sub conditione petere potuit, dilationem ejusdem.  
Quia nimis ipfa sentiebat se adhuc imparatam esse, ut pater  
in ipsa exsequeretur quod voverat. Adeoque pater nondum  
commode vorum suum exequi poterat. Præsertim quia tem-  
pus dilationis voti quod petebat filia, breve esset. Locum ergo  
Eccl. 5. ver. 3. quod attinet, is agit aut de voto in quo nuncupando  
vovens executionem certo tempore alligavit, aut de  
procrastinatione voti ex negligentia, aut voti nuncupati  
pœnitentia, promanante. Quod malim, propter ea quæ  
ibidem sequuntur. Sunt quidam inter pontificios (ut hoc  
præcedentibus addam) qui putant votum cuius executioni  
nullum certum tempus præfixum fuit, tunc esse reddendum  
cum mens & ratio præscribit ut solvatur, quamvis autem ju-  
xta hosce, filia Iephœ dilationem voti petere potuerit, regula  
tamen quæ tradunt incerta est. Scrupulosi enim, hac usi regula  
ju-

judicabunt se statim, non obstante gravi impedimento, ad voti  
talis redditionem teneri : ii vero quibus conscientia laxa est,  
fero aut nunquam de voto persolvendo cogitabunt. Alii inter  
ipsos statuant, tunc tale votum reddendum quando vir bonus  
arbitrabitur votum persolvi debere, verum nec hi, (licet ex  
eorum sententia sequatur, non peccasse filiam Iephæ dilatio-  
nem voti petendo) satisfaciunt, quia quamvis judicia bono-  
rum non sint contemnenda, præterea tamen requiritur ut  
quisque certus sit, in conscientia, actiones suas Deo probari.  
Rom. 14. vers. 23.

I I L.

Facultas excurrendi quam postulat eadem Filia Iephæ con-  
tinetur reliqua parte versus quem enarramus. Duo autem hic  
perpendenda sunt.

1. Ipsi facultas quæ petitur.

2. Finis facultatis petitæ.

Ipsi facultas quæ petitur exhibetur verbis: וְאֶלְכָה וַיַּרְאֵת עַל הַרִּים. Petit hisce verbis Virgo de qua agimus ut sibi  
bona cum patris venia liceret relicta ad tempus domo patria  
abire in vicinos montes.

Quæritur hic 1. Quid sibi velit modus hic loquendi qui in  
textu occurrit? plane enim à ratione alienum esse videtur ut  
dicamur descendere in montes, quomodo tamen Iephæ filia lo-  
quitur. Resp. existimant quidam domum Iephæ alto in mon-  
te sitam fuisse, & magis editam quam montes ad quos egredi  
virgo cupiebat, atque hinc factum ut diceret descendam ad  
montes. Conjecturam suam confirmare nituntur, ex eo quod  
Iephæ domus in Mizpa v. 24. fuisse dicitur: & Mizpa specu-  
lam notat; speculæque in editissimis regionum locis esse so-  
lent. Sunt qui existimant verti posse descendam *juxta* montes; vel  
versus montes, nimirum per intermediam vallem inter Mizpam  
& montes de quibus agitur. Vel locutionem hanc concisam  
brevitatem Hebræis non inusitatam redolere, & sensum esse  
descendam & ibo ad montes. Non nego hasce interpretationes  
probabiles esse; ceterum tamen mihi dicendum videtur filiam  
Ieph-

Iephæ hic locutæ, juxta consuetudinem Hebreorum, qui vobis descendendi & ascendendi nonnunquam utuntur nulla situs habita ratione. Huc enim pertinet quod legitur Iud. 15. 11. & Iol. 7. 24. & Io. 4. v. 10. 47. Videantur haec de re preter Kimchium in hunc locum. Beza ad Ioan. 4. 47. & Ursinus ad locum quem enarramus. ubi quoque annotatum inveniet lector ex Salomone Iarchi & Kimchio verba filiæ Iephæ de quibus hic agimus à Iudeis etiam allegoricè exponi, ut sensus sit: descendam ad montes, hoc est doctores Synedrii: forte invenient januam votu meo. Non refero hoc quasi expositio hæc aliquid probabilitatis habeat, sed potius ut eam repuas. Nam 1. nulla hic est necessitas cur ad allegoriam configiamus. 2. Probandum est doctores Synedrii ullibi voce montium significari. 3. Subjicerat fœse jam antea filia Iephæ patri, nimis ut de ipsa statueret juxta quod roverat: quis autem credat, eam nunc significare & quidem terminis ambiguis & obscuris, se ad doctores Synedrii abiire velle quæsituram, num voti necessitatem cui se submiserat evadere posset. 4. Quod sequitur de deflenda virginitate, cum loci sui commentum hoc plane refellit.

#### I V.

וְאַבְכָּה עַל כִּתְוֵל אֲנֵכִי וּרְעֵיתִי Finis facultatis petitæ significatur verbis כִּתְוֵל אֲנֵכִי וּרְעֵיתִי. Finis est ploratus à filia Iephæ & loci puelle instituendus. Duo autem hic fœse potissimum offerunt,

1 Objectum sive materia ploratus futuri.

2 Ploratus causæ efficientes.

וְאַבְכָּה עַל בְּרוֹלִים Primum exprimitur verbis בְּרוֹלִים.

Quæritur hic 1. quid vox בְּרוֹלִים significet? Resp. 1. virginitatem. 2. Signa virginitatis Deut. 22. v. 15. 17. Vocem hanc priore significatu hic sumi nullum est dubium. Ceterum cum virginitas sit duplex una animi alia corporis, tenendum est hic de virginitate corporis esse sermonem. Nam 1. Nulquam vox בְּרוֹלִים pro virginitate animi in facris literis accipitur. Quamvis virgines nonnunquam appellantur qui animum à scortatione tum carnali tum spirituali alienum gerunt, & puritati in iis quæ generationem spectant, sinceritatique cultus

veri Dei student. 2 Cor. 11. v. 2. Apoc. 14. v. 4. 2. Cum virginitas animo metaphorice tribuatur , similitudine à virginitate corporali petita, æquum non est ut proprietate vocis בָּתָלָה relictæ, ad impropteratam deflectamus. 3. Flevit ut mox audiemus filia Iephitæ ; non quod virginitate privanda esset , sed quod conjugii compos futura non esset. At non tantum stolidum , sed impium foret fletibus indulgere ob non amissam nec amittendam virginitatem mentis. Nam præterquam quod virginitas illa mentis, in iis quibus ea displicet jam læsa est; omnibus ea imperatur, tum iis qui cælibem vitam ducunt, tum conjugibus. quia utrisque spiritus Dei omnes imputritatis prohibet, & virtutem castitatis imperat Matth. 5. 8. Neque enim putandum est conjugium cum castitate pugnare. Deus enim illud in paradiſo instituit : Patriarchæ, Prophetæ, sacerdotesque V. T. eo usi sunt. Christus nuptias Ioan. 2. presentia sua & exordio miraculorum decoravit. Apostoli multi conjuges fuerunt. Et Apostolus Heb. 13. v. 4. conjugium inter quovis honorabile, & cubile impollutum esse pronunciat: Imo vero 1 Cor. 7. v. 2. 9. conjugium post lapsum alioqui periclitatur & castitati divina ordinatione, subvenire docet, atque directe facere ad tentationes & peccata pugnantia cum virginitate mentis vitanda, nimirum ut mentis illa virginitas conservetur & promoveatur. Legimus quidem Siricum Epist. 4. c. 9. de discipulis sacerdotes & levitas id est ministros N. T. utentes matrimonio in carne esse & Deo placere non posse. Sed hominis auctoritas verbis Icripturæ abutentis adversus Deum nulla est : Præidcit Apostolus 1. Timoth. 4. vers. 1. 2. 3. exorturos qui doctrinas dæmoniorum seminarent & inter eas, prohibitionem conjugii ; veritatem autem predicationis Apostolicæ implevit Siricus & cæteri Pontifices Romani qui post multa certamina rem eo deduxerunt ut cælibatus spiritualibus Ecclesiæ Romanæ sit imposta sit necessitas , que mordicus à Romanensibus retinetur, quasi videlicet usus conjugii spiritualis illos (qui tamen matrimonium suorum sacramentum esse volunt) dedecet.

## V.

111. An status conjugii statui virginitatis sit præferendus ?  
 Ratio quæsiti est, quia postulat filia Iephitæ veniam secedendi in montes, ut ibi virginitatem suam plangeret, id est ut deploraret, quod nuptiarum sibi copia futura non esset ? Resp. Ut ad hanc quæstionem apte respondeatur notandum est statum conjugii & virginitatis trifariam spectari posse. Nimirum 1. simpliciter & per se. 2. quatenus plus aut minus conducunt ad virtutes. 3. quatenus referuntur ad hanc vel illam personam circumstantiis (ut sic loquar) certis vestitam. Quod si primo modo hi status considerentur, de genere indifferentiū sunt, unde sicut rectus horum usus, sic etiam abusus esse potest. Hinc sequitur dici non posse, alterum altero si hoc modo considereres moraliter esse meliorem. Quod si secundo modo spectentur, videtur conjugium virginitati esse præferendum. Nam non tantum docemur conjugium institutum esse in statu innocentia ad faciendam hominis conditionem meliorem Gen.2.18. verum etiam post lapsum directe face-re ad tentationes & peccata vitanda quæ castitati repugnant 1.Cor.7.2.5.9. Quod si denique tertio modo considerentur, absolute dici nequit uter status alteri præferendus sit. Nam pro diversitate circumstantiarum status qui uni conductit alteri non conductit. 1.Cor.7.v.9.17. Quod si quispiam dono continentia à Deo fit instructus, vocatioque ferat ut in cælibatu vivat, status cælibatus conjugio præferendus est. docet id Apostolus 1.Cor.7.vers.26.35.38.40. Quod si vero dono continentia quis donatus non sit, aut tam commode officio suo fungi non possit in cælibatu ac in conjugio, conjugium cælibatui præferendum est. 1.Cor.7.v.2.5.9.36. Vide Amel. cæl.lib.5.c.35.

## V I.

111. Quid pontificiū hac de re sentiant? Resp. pontificiū voto cælibatus viam munientes, virginitatem conjugio præferunt, freti his sere argumentis. 1. Quia Deus Ies.56.vers.3 promittit se eunuchis daturum spatiū & nomen in domo sua

flua & intra muros suos, & nomen melius quam filiorum aut  
filiarum, nomen perpetuum quod non excludetur. 2. Quia  
Christus cum dixisset Matth. 19. 12. esse qui se castrarunt pro-  
pter regnum Dei, addit qui potest capax esse hujus rei capiat  
commendans videlicet virginitatem pra conjugio. 3. Huc e-  
tiam adferunt varia ex 1. Cor. c. 7. nimirum quod Apostolus  
nuptis non dicat bonum(id est melius esse) si sic maneat item  
quod suadeat, solitus es ab uxore? noli querere uxorem. pre-  
terea quod affirmet, eum qui matrimonio jungit virginem  
suum bene facere; at melius facere qui non jungit. Et deniq;  
quod de vidua pronunciet beatorem esse, si in statu illo per-  
severet. 4. Quia Christus virginitatem servavit, & ex matre  
virgine nasci voluit. 5. Quia matrimonium quantum ad usum  
& inclinationem convenit homini secundum partem ejus in-  
feriorem, quæ illi communis est cum brutis. Virginitas autem,  
tametsi quoad integratatem carnis sit in corpore, tamen quoad  
inclinationem ac desiderium servandi propter Deum, conve-  
nitilli secundum partem superiorem, neque est naturalis, sed  
supernaturalis ac cœlestis, redditique homines angelis similes.  
Matth. 22. 30. 6. Quia status matrimonii implicat hominē va-  
riis molestiis, à quibus qui virginitatem colunt immunes sunt.  
Vide Thomam 2. 2. quæst. 152. art. 4. ejusque commentatores.

V I I.

iv. An hæc argumenta valida sint ad probandum id quod  
in quæstione est? Resp. Neg. ut autem pateat id merito à me  
dici, breviter ad singula respondebimus. Quantum ergo ad  
primum. 1. Nulla Ies. 56. instituitur comparatio inter virgi-  
nitatem aut cœlibatum. Nam bona quæ ibi promittuntur Eu-  
nuchis etiam in conjugatis locum habere possunt & sæpe ha-  
bent. 2. promissio quæ ibi fit eunuchis, ipsis fit non qua eu-  
nuchis sed qua fidelibus. Ita enim habet textus: *Nam ita ait Iehova de eunuchis qui obseraverint Sabbathamea, & elegerint id quo deleitor, apprehenderintque fædus meum etiam daturus sum eis &c.* 3. Promissio quæ fit ipsis eo tantum spectat, ne existi-  
marent propter id quod legitur Deut. 23. v. 1. se apud Deum,

si pii essent, pejori loco futuros, quam alios qui eunuchi non  
essent. Ad secundum : loco Matthæi 19. docet Christus ma-  
trimonium iis qui donum continentia habent, & sic melius  
regnum Dei promovere possunt, præferendum esse conjugio,  
sed id nihil contra nos facit ut liquet ex quæstione secunda.  
Ad tertium. 1. Apostolus non dicit quidem formaliter nuptis  
bonum (id est melius esse) si sic maneant, dicit tamen id equi-  
pollenter. Vide vers. 10. 11. 17. 2. uti dicit Apostolus solutus  
es ab uxore ? ne quare uxorem : sic quoque ait, uxori alliga-  
tus es ? ne quare dissolutionem. 3. Apostolus duobus postre-  
mis locis tantum docet virginitatem & viduitatem matrimo-  
nio præferendam ubi quis donum continentia habet, & me-  
lius Deo servire potest in cælibatu constitutus quam in con-  
jugio, sicuti, v. 9. & 17. docet matrimonium cælibatui præfe-  
rendum illi qui donum continentia non habet aut cuius, voca-  
tio matrimonium poscit. Ad quartum. 1. Simili ratione cœclu-  
dam, hominem Angelo esse præstantiorem, quia Christus non  
angelicam sed humanam naturam assumxit. At quis hoc ferat?  
Assumxit Christus humanam naturam , quia non Angeli sed  
homines per eum salvandi erant. 2. Christus virginitatem ser-  
vavit, non ut virginitatem absolute matrimonio potiorem esse  
doceret, (dicitur enim Gen. 2. v. 18. non est bonum hominē esse  
solum &c. & 1 Cor. 7. v. 9. Quod si se non continent, matrimo-  
nium contrahant) sed quia nec opus habebat matrimonio, ut  
qui nullas unctiones perpetiebatur, nec venerat ut orbem per  
generationem carnalem liberis impleret; sed ut opus salutis no-  
stræ perageret. 3. Christus natus est ex matre virgine, sed vir-  
gine desponsata , conjugioque rato Iosepho devincta. Vide  
Thomam p. 3. quæst. 29. art. 2. ejusque commentatores. quod  
si ergo recte concluditur virginitatem præferendam conjugio,  
quia Christus ex virgine natus est, an etiam non sequetur Ita-  
tum conjugii rati, quamvis non consummati, esse meliorem  
quam statum cælibatus? Quod si id concedant pontificii cur-  
clericis suis non imponunt, ut omnes conjugium contrahant,  
sed non consumment, nimirum ut sic, ad perfectionem conten-  
dant?

dant? 4. Natus Christus est ex virgine, quia Ies. 7. v. 14. prædictum erat eum ex virgine nasciturum, nimis ut ex hac nativitate ab aliis hominibus tanquam criterio quodam, (qualia multa alia Deus in Vet. Testamento prænunciaverat) dignosceretur; non autem ut hac ratione virginitas absoluté conjugio præferenda esse significaretur. Ad quintum 1. Certe virginitas si referatur ad honorem Dei, id est propterea servetur ab iis qui domum continentiae habent, ut commodius regnum Dei promoveatur, pertinet ad partem superiorē hominis, & eatenus res quædam supernaturalis est, & cœlestis. Sed sic quoque conjugium si referatur in honorem Dei, id est propterea contrahatur, ut castitas alias periclitatura conservetur, Deusque puro corde serviatur, vocationique à Deo imposita melius vacetur, pertinet ad partem superiorē hominis, estque eatenus res quædam supernaturalis, quia pollutis & incredulis (quales omnes natura sumus) nihil est mundum Tit. 1. verf. 15. nec non cœlestis; quia studium castitatis per media à Deo instituta & imperata, ne templum Spiritus Sancti polluatur, cœlestē donum est. 2. Non est exiitmandū virginitatem Deo gratam esse, si ita servetur in honorem Dei, ut non referatur in aliquod opus quod per se bonum est, atque à Deo præceptum. Nam virginitas simpliciter & per se considerata est naturæ indifferentis, adeoque ut Deo sit grata necessum est ut induat rationem mediæ ad opus per se bonum, ut propter Deum id est in honorem Dei conservari queat. Naturæ indifferentis est humi procumbere: quia vel id bene vel male fieri potest. quocirca, ut quis humi procumbat propter Deum non sufficit, ut intendat actu isto procumbendo honorare Deum, nam nusquam significavit Deus (actu se tali simpliciter & per se spectato honorari) sed præterea requiritur, ut actus ille procumbendi, ad bonum aliquod opus ordinetur, ut sic actus ille ex fine tali rationem boni operis induat, ut per eum Deus honorari possit. Tum autem refertur actus ille ad opus per se bonum, cum adhibetur ad humiliationem cordis coram Deo promovēdam studiumque

precum accendendum. Quod si ergo pontificii, cum loquuntur de conservatione virginitatis propter Deum , actum illum conservandi virginitatem per se & simpliciter consideratum , citra relationem ad opus quod per se bonum sit, opus supernaturale & cœleste appellant, grauiter errant, &c ex *ibidem* cultum Dei faciunt, quod ipsis solemne est. 3. Id quod Christus ait v. 30. sed sunt ut angeli Dei in cœlo , non eo pertinet ut statum virginitatis statui conjugii in terris præferendum esse ostendat, (nam eo non facit scopus verborum Christi) sed ut ratio detur , quare in resurrectione neque uxores ducent , neque nuptum dabuntur : nimirum quia resurrectionis filii animali hac vita deposita , immortales erunt , ut Angeli , sublata videlicet moriendi potentia non tantum propinqua sed etiam remota : adeoque & potentia atque inclinazione ad generandum ( ut quæ pertinet tantum ad animalem hanc vitam) carebunt. Patet hoc ex Luc. 20. vers 35. 36. ubi Christus sic loquitur. *Qui vero digni habiti fuerint qui ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores neque nuptum dantur :* NEC ENIM MORI AMPLIUS POSSUNT, pares enim angelis sunt. Cum enim ait, pares enim angelis sunt, ostendit hoc à se adferri ut probet id quod proxime præcesserat, nimirum quod filii resurrectionis amplius mori non poterunt. Ad sextum. 1. Concedo statum matrimonii variis hominem implicare molestiis, sed nego inde sequi statum virginitatis statui conjugii esse absolute præferendum ; Nam vult Apostolus ut rationem doni & vocationis nostræ habeamus: atq; ut si donum desit, & vocatio nostra cōjugium poscat, id statui virginitatis aut viduitatis præferamus. Adeoque nihil amplius hoc argumēto obtineri potest, quam quod antea concessum fuit, videlicet quod status virginitatis adde & viduitatis sit præferendus matrimonio, solis illis qui & doni continentia libi consciī sunt, & quorum vocatio matrimonium non poscit. Neque enim homo sese citra necessitatem in molestias præcipitare debet. Quia hoc pugnat cum prudētia, & dilectione sui ipsius. 2. Vti status conjugii ordinat

rie multas molestias secum trahit, sic etiam status cælibatus, ex vitiositate humana sæpe unctiones parit; & nonnunquam vacationi officit. Quod si ergo ex molestiis quas matrimonium, non natura sua, sed partim ratione vitiositatis humanae, partim ærumnarum quæ ob peccatum à Dco immittuntur, secum trahit, colligere licet statum virginitatis aut viduitatis esse meliorem statu conjugii, etiam colligere licebit ex unctionibus illis & ratione vocationis statum conjugii esse meliorem statu virginitatis aut viduitatis. Restrictione hic opus est ut ex præcedentibus patet. 3. dixi statum virginitatis & viduitatis ex vitiositate humana sæpe unctiones in multis parere. Verissimum id esse, vel spirituales Pontificiorum suo exemplo abunde docent. Ostendit hoc Cl. Rivetus in suo Iesuita vapulante c. 3. ubi, ut Silvestrum Petra sanctam modestiam doceat, crima ab ipso in Calvinum & Bezam congesta ad quæ idem Rivetus c. 2. respōdet, in Pontificios retorquet. Videri etiā hac de re potest prafatio Balei quam prefixit historiæ suæ de actis Pontificum. Nam ibi temporibus Henrici octavi cum monasteriorum per Angliam visitatio institueretur, tot ac tam nefandas turpitudines in monasteriis repertas fuisse ait, ut Sodoma & Gomorrah in ea commigrasse viderentur. Locum non recito, quia prolixior est, sufficit illum indicasse.

### V I I I.

v. Quoniam jam ostensum est non posse absolute pronunciari statum conjugii statu virginitatis esse meliorem, queritur cur ergo filia Iephthæ duorum mensium spatiū petiverit ut virginitatem suam deficeret? Resp. Potissima hujus rei causa fuisse videtur quod Israelitæ magno generis propagandi studio ducerentur, atque propterea probossum ducerent sine liberis decidere. Vide hac de re Gen. 15. v. 2. & 30. v. 1. Ruth. 4. v. 11. 1 Sam. 1. v. 7. Ief. 4. 1. Luc. 1. v. 25. Quid autem ipsos impulerit ad tantum liberorum studium prolixe non inquirō, breviter quod sentio dicam. Statuo pios eo impulsos fuisse quod desiderarent incrementum ecclesiæ Dei quæ tunc illorum generi inclusa erat. Addo etiam probabile esse quod inter illos fuerint.

rint qui sperarent Messiam ex ipsis nasciturum. Omnes enim id sperasse credibile non est, quia Deus ortum Messiae primo tribui Iudeæ, postea familiæ Davidis quæ pars erat tribus illius adiunxerat.

I X.

**אָנָכִי וְרֹעֵיתִי**. Causæ efficients ploratus futuri describuntur verbis. Significat filia Iephtha ploratum de quo loquitur non à se sola sed etiā à sociis pueris instituēdum. In voce וְרֹעֵיתִי lod pro vau scribit ut uti à Masoretis annotatum est, sed non est intolitum ut jod pro vau & vau pro jod scribatur. Videri hac de re potest Buxtorfius Tiberiadis c. 13.

Quæri hic potest, i. An permutatio hæc elementorum iſi Spiritui Sancto an vero librariis sit tribuenda? Resp. Rationem non video quare si codicum non est varietas prius negari posterius affirmari debeat.

II. Quare filia Iephtha virginitatem suam deploratura, socias planetus sibi aslumendas duxerit? Resp. Videtur hoc factum, non ut planetu suo sociæ puellæ luctum illius accéderent: (quid enim opus erat ut animum dolore saucium magis laniarent?). sed ut eæ una cum ipsa plangentes ipsi levamen aliquod doloris afferrent. Ita enim fere sit ut cum videmus amicos lugere & lachrymari ob calamitatem quæ in nos incubuit, tristitia quæ nos obsidet, non nihil relevetur, commiseratione illorum, quasi partem tristitiae nostræ in se transferentium, animum afflitum non nihil demulcente: sicuti è contrario fere experimur intendi dolorem, quando eum ab iis quos nobis amicos existimaveramus negligi aut etiam rideri sentimus. Vide Psal. 35. v. 12. & sequentibus aliquot. Etiam alia quædam hic quæri possent, verum iis postea etiam locus esse poterit.

Corollaria Respondentis.

1. **T**heologia practica est.
2. Opinionem Chiliasmorum de regno Christi in his terris millenario rejicimus.
3. Patres ante Christi mortem in cælum recepti fuerunt.
4. Animæ post mortem vivunt ac sentiunt.
5. Cruciantur animæ impiorum post mortem.
6. An in quibusdam convertendis sint dispositiones preparatorie, qua aliqua causalitate sua concurrant ad regenerationem? N.
7. An verbum Dei ante conversionem salutariter audiatur? N.
8. Et intellectus & voluntas regenerantur in conversione.
9. In probanda Scripturæ autoritate non nos committimus circuitum, sed pontificiū.

F I N I S.